



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Die XX. Julii. In Festo Sancti Hieronymi Æmiliani  
Confessoris**

**Paderbornae, 1770**

Lectio V.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62828)

tissima Virgo ejus precibus exorata, clemens adest, vincula solvit, & per medios hostes, qui vias omnes obsederant, in Tarvisii conspectum incolumem ducit. Urbem ingressus, ad Deiparæ aram, cui se voverat, manicas, compedes, catenas, quas secum detulerat, in accepti beneficii testimonium suspendit. Reversus Venetias cæpit pietatis studia impensius colere, in pauperes mirè effusus, sed puerorum præsertim misertus, qui parentibus orbati, egeni, & fordidi per Urbem vagabantur, quos in ædes à se conductas recepit de suo alendos, & Christianis moribus imbuendos.

Rx. Honestum fecit &c.

*Lectio V.*

**P**er eos dies venetias appulerant Beatus Cajetanus, & Petrus Carafa, postmodum Paulus Quartus, qui Hieronymi spiritu, novoque instituto colligendi Orphano probato, illum in Incurabilium Hospitale adduxerunt, in quo Orphanos simul educaret, atque ægrotis pari charitate inserviret. Mox eorumdem hortatu in proximam continentem profectus, Brixix primùm, deinde Bergomi, atque Novocomi Orphanotrophia erexit, Bergomi præsertim, ubi præter duo, pro pueris unum, & pro puellis alterum, domum excipiendis, novo in illis regionibus

bus exemplo, Mulieribus à turpi vita ad pœnitentiam conversis, aperuit. Somaſchæ demum ſubiſtens, in humili pago agri Bergomenſis ad Venetæ ditionis fines, ſibi, ac ſuis ibi ſedem conſtituit, formamque induxit Congregationis, cui propter eà à Somaſcha nomen factum, quàm ſubinde auctam, & propagatam, nedum Orphanorum regimini, & Eccleſiarum cultui, ſed ad Majorem Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem Adoleſcentium in litteris, & bonis moribus institutioni, in Collegiis, Academiis, Seminariis addictam Sanctus Pius Quintus inter Religioſos Ordines adſcripſit, cæterique Pontifices privilegiis ornarunt.

Rx. Amavit eum &c.

*Lectio VI.*

**O**rphanis colligendis intentus Mediolanum proficiſcitur, atque Ticinum, & utrobique collectis agminibus puerorum tectum, victum, veſtem, Magiſtros, Nobilibus Viris faventibus, providè conſtituit. Inde Somaſcham redux, omnibus omnia factus à nullo abhorrebat opere, quod in proximi bonum cedere pervideret. Agricolis immixtus per agros ſparſis, dum ſe illis adiutorem in metendis frugibus præbet, myſteria fidei explicabat,  
pue-